



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Adami in Paradiso negotium, flores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

fuo infigit radios. Ea vel sola, minimaque plantula odore est tam liberali, tam suavi, colore tam grato, ut & Floræ nares inuitet, & oculos alliciat ipsarum Gratiarum, Præstantique ruris gloriam, comiter laceſſat.

Hæc, inquam, viola terræ filia, cæli æmula, & huic innumerari pares, enimvero & maiores molliorésque floſculi veſtigijſ Adami ambulantis ambiroſè paſſim ſeſe ſubijciebant calcandos. Denique

Tot fuerant illic, quot habet natura colores,

Pictaq; diſſimili flore niſebat humus.

Quam ſimul aſpexit, coniux accedito, dixit,

Et mecum plenos collige flore ſinus.

Tulit enim Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradifo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum. Cùm ſuauior vita eſſe non poſſet, quàm inter has naturæ ſuauitates, dulciſſima cura fuit Adami, topiariam exercere, atque agere hortulanum. De illo igitur occupando ſtatuit Deus, quod Poëta canit:

Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum,

Pallentis violas, & purpureos hyacinthos,

Liliâque, & Tyrias imitata papavera lucas,

Vernantiſque roſa rubicundo ſanguine florem:

Ceruleum folijs, viridi quia gramine collem

Conſeret, & veris depinget prata figuris.

Aut varios neſtet flores, ſerſiſque locabit.

Hoc fuit opus Adami: in horto eum Conditor poſuit; quaſi diceret: Cinge tempora floribus *Suaueolentis amaraci. Talis in vario ſoles Diuitis Domini hortulo Stare floſ hyacinthi;*

Mulcet ubi Elyſius aura beata roſas,

Et non ſentitur ſedulitate labor.

Quid delicatius potuit excogitari? habitatio hominis fuit Paradifus; opus jucunditas; labor voluptas. Inducitur in viridarium, ſtatuitur inter flores; reclinatur in molliffimo gramine, ut inter herbis capiat ſoporem; excitatur ad auroram; inuitatur ad roſaria; vagatur inter meras fragrantias, inſtar apis.

Vt modo rore maris, modo ſe violæne, roſæne:

Implicitet, interdum candentia lilia geſtat.

Nec ſtiua opus erat, nec ſarculo. *Omnia ſponte ſua tellus*

V a inarata

VII.

Ouid. 4. Faſtor.

Gen. 2. 15.

Manil. lib. 15.

Catull. 62.

Propert. li. 4.

Ouid. lib. 4.

Faſtor.

Ouid. 12.

metamorph.

VIII.